

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

34. Mercurius vegetabilis Lulli

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

balneo per diem, & reducetur in aquam, quam appellamus *menstruum vegetabile*, quod est dissolvens mirandum pro dissolutione radicali duorum luminarium.

Aliquando menstrua hæc consecere adepti non ex sale harmoniaco vegetabili, sed sequenti modo.

34. Mercurius vegetabilis Lullii, *Lib. de materia vegetabili in practica sexta.*

℞. **V**inum optimum odoriferum, pone in circulatorio satis amplo, claude optimè cum sulphure fuso dictum vas, & putrefac in balneo per 12 vel 15 dies. Postea destilla spiritum & phlegma secundum artem, usque donec spiritus comburat gossypium; super materiam remanentem instar picis fusæ funde partes sex phlegmatis, digere per duos dies in cineribus, agitando vas aliquando, decanta phlegma tinctum, aliud affunde, & faciendo ut supra donec extraxerit omnem tincturam, & terra nigra remaneat in fundo alembici. Pone phlegma tinctum in alembico, & destilla in balneo, & quod remanebit in fundo vasis, erit oleum vegetabile. Supra terram nigram autem funde spiritum ardentem ad superminentiam quatuor digitorum, destilla ex cineribus, & destillatum erit spiritus ardens imprægnatus; materiam affunde novum spiritum ardentem, reiterando ut antea tribus vicibus, at in ultimâ augmentando ignem circa finem. Calcina terram igne reverberationis in albedinem, ex qua sal fixum extrahe cum parum phlegmatis. Sal fixum pulverisatum pone in alembico, affunde spiritum ardentem animatum ad duos digitos, destilla leniter in balneo humiditatem inspidam & inutilem, reitera ut antea usque dum spiritus animatus ascendat absque suæ virtutis diminutione, & tum habebis sal fixum acuatam, quod pone in alembico, & affunde oleum vegetabile ad trium digitorum superminentiam, digere in cineribus per diem, augmenta ignem & destilla quicquid ascendere poterit, destillatum serva cautè, quoniam est *mercurius vegetabilis*. Si verò quid restet de sale in alembico, eandem repetere operationes oportet, usque tandem omnis mercurius vegetabilis transeat per alembicum, qui extrahet tincturam
Auri,

Auri calcinati cum mercurio vulgi & sale, & tandem cum sulphure, quæ est excellens quoddam Aurum potabile.

Aliquando sola cobobatione (absque omni imbibitione) hæc præparavere menstrua; sit pro Exemplo

35. Aqua vitæ rectificata Lullii, *In Potestate Divitiarum.*

R. **V**inum, separa spiritum cautè, quanto citiùs & puriùs poteris, quia nunquam ita cautè ipsum separabis, quin aliquam in se partem contineat purioris substantiæ phlegmaticæ, id est, aqueitatis. Ilte spiritus semel separatus vocatur *Mercurius*, id est, aqua ardens, cujus signum est, quod si intinxeris in eo pannum lineum, inflammabitur (si accendatur priùs) & non comburetur, si verò pluries separaveris (rectificaveris) vocatur *Lunaria rectificata*, id est, aqua ardens rectificata, cujus signum est, quod pannus lineus tinctus in ea totaliter comburatur. Separa jam totum phlegma superfluum, donec nihil penitus remaneat, & remanebit inferiùs pix in olla. Tunc Lunariam, id est aquam ardentem rectificatam commisce cum illa substantia, facta sicut pix mollis, bene movendo donec incorporetur, & pone ad destillandum, & quod egreditur, vocatur *sanguis humanus rectificatus*, quem quæerunt Alchymistæ; item vocatur iste sanguis *Aër* vel *Ventus*, & de hac re loquutus est Philosophus cum dixit: Portavit illum Ventus in ventre suo. A residuo, destillando separa oleum superfluum (*vegetabile superiùs dictum*) per alembicum vitreum, donec nihil remaneat, quod oleum ad partem serva, quousque tibi dixerò. Residuum verò erit substantia nigra & sicca, quam pulverisa subtiliter, & cum sanguine humano rectificato misce per minima, & dimitte stare simul per spatium trium horarum, & postea destilla, & tunc hæc aqua vocatur *Aqua ignea rectificata*. Tunc caput mortuum calcina in furno reverberationis, donec efficiatur sicut calx, & calcem hanc misce cum aqua ignea rectificata, & destilla septem vicibus, & tunc vocatur *Aqua vitæ rectificata*.

Idem menstruum habent Paracelsus libro de Elixire Vitæ, &

Au